# MASTER NEGATIVE NO. 92-80596-11

*AUTHOR:*

MEISSNER, HERMANN

*TITLE:*

NONNULLA DE USU AC...

*PLACE:*

VRATISLAVIAE

*DATE:*

1869

Master Negative #

92-80596-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Meissner, Hermann, 1844-
Nonnulla de usu ac significatione aoristi Graeci, particula prima. Dissertatio...quam scripsit et... defendet Hermannus Meissner... Vratislaviae, typis C. H. Storchii, 1869.
31 p. 22 cm.

Thesis, Breslau, 1869.

Volumes of pamphlets

Restrictions on Use:

---

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 05-27-92 INITIALS Emil
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

**AIIM**

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# NONNULLA DE USU AC SIGNIFICATIONE AORISTI GRAECI.

## PARTICULA PRIMA.

---

# DISSERTATIO
## INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

**AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS**

AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

**IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE CAPESSENDOS

DIE VII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIX, HORA XI

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

**HERMANNUS MEISSNER**

SILESIUS.

---

ADVERSARII ERUNT:

J. MOCH, SEM. REG. PHIL. SOD.
B. HIRSCHWAELDER, SEM. REG. PHIL. SOD.
E. WERNER, CAND. PHIL.

---

**VRATISLAVIÆ,**

TYPIS C. H. STORCHII ET SOCII.

# AUGUSTO ROSSBACH,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, ANTIQUARUM LITTERARUM IN
ACADEMIA VRATISLAVIENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,
SEMINARII REGII PHILOL. DIRECTORI

SACRUM.

# Praefatio.

Si quis forte miretur, cur hanc graecae grammaticae partem observandam mihi proposuerim, in qua excellentissimi viri docti, ut Godofredus Hermannus, Madwigus, Bernhardyus, Krügerus, alii operam suam navarunt, ei respondeo tamen quod ad singulas res attinet viros doctos saepe dissentire atque grammaticas leges nondum tam anguste coercuisse, ut unam quamque rem complexi sint.

Quum enim Sophoclis tragoedias tractarem, nonnulli aoristi mihi occurrebant, qui legibus grammaticis haud satis exanimati et illustrati esse mihi videbantur. Rossbachio igitur, viro ill., auctore per duos fere annos in cognoscenda aoristi ratione ac via operam consumpsi atque nunc conabor rebus notissimis omissis vel obiter tractatis accuratius accedere ad inspiciendas eas res, de quibus grammatici sententias protulerunt diversas. Quamvis libenter concedam negotium hujus grammaticae partis explanandae ingratissimum esse, quippe quum multi de hac re multa scripserint, atque vires meas his difficultatibus nequaquam pares esse, tamen spero me non iniquius judicium consecuturum esse. Sed si quis mihi objiciat, quod non ab Homero in exquirenda aoristi ratione egressus sim, quippe qui semper exordium sit omnium grammaticarum observationum, tamen persuasum habeo, non inutile esse, usus aoristi Homerici ratione, quantum possum, habita, studere illi aetati, qua lingua in unam quamque partem perfecta atque certis finibus terminata nobis occurrat.

Causa enim, cur Sophoclis tantum tragoediis me non continuerim, ut initio mihi proposueram, in hac re est posita, quod apud hunc

poetam, qui in summo fastigio antiquae humanitatis versatur, usus aoristi nullo modo ab aliorum scriptorum ratione abhorrere potest; sed tanto ab iis, qui soluto sermone usi sunt, diversus est, quanto sermo solutus a devincto.

Priusquam de aoristo, qualis illa aetate usurpetur, explico breviter de temporum relationibus ipsis mihi dicendum esse arbitror.

Si idem momentum, quo vivimus, medium omnis temporis sumimus, ab hoc statu temporis praesentis facile contemplari possumus, quomodo omnes res fiant, non solum quod eo tempore, in quo versamur, fit, sed etiam quod factum est et quod fiet. Itaque [1]) ante omnia tres temporum gradus nobis discernendi sunt, gradus temporis praesentis, perfecti, futuri, prout actio praesens, aut perfecta aut futura ad nos refertur, qua ex re sequitur, ut discrimen horum temporis graduum tantum progressu temporis sine ulla mutatione actionis efficiatur.

Tria igitur sunt tempora praesentia:

1) tempus praesens actionis inchoatae quidem, sed imperfectae,
2) tempus praesens actionis perfectae,
3) tempus praesens actionis adhuc inchoandae.

Cujus [2]) sententiae jam particeps fuisse videtur atque notionem temporis recte intellexisse Lucretius Carus in libr. II. vers. 460—63 quum diceret:

„Tempus idem per se non est, sed rebus ab ipsis Consequitur sensus, transactum quid sit in aevo. Tum quae res instet, quid porro deinde sequatur." Commode profecto Haasius, cujus scholas adiisse gaudeo, hac de re his fere verbis disseruit: „Da das fließende Sein

---

[1]) Curtius griech. Grammatik § 484.

[2]) Veteres jam hos temporum gradus distinxisse certa indicia habemus apud Platonem in Parmenide pag. 151: *τὸ δὲ εἶναι ἄλλο τί ἐστιν ἢ μέθεξις οὐσίας μετὰ χρόνου τοῦ παρόντος, ὥσπερ τὸ ἦν μετὰ τοῦ παρεληλυθότος καὶ αὖ τὸ ἔσται μετὰ τοῦ μέλλοντος οὐσίας ἐστί κοινωνία; ἔστι γάρ. Μετέχει μὲν ἄρα χρόνου εἴπερ καὶ τοῦ εἶναι.* Apud Aristotelem praeter alios locos in topicis: libr. IV quo in exeunte ita discernit: *ἐπίστασθαι* et *μεμνῆσθαι*: *τὸ μὲν τοῦ παρεληλυθότος χρόνου ἐστί, τὸ δὲ καὶ τοῦ παρόντος καὶ τοῦ μέλλοντος.*



ein in der Zeit sich bewegendes ist und eben durch die Zeit Form und Schranken bekommt, so ist es nothwendig, daß das fließende Sein in sich die Zeitunterschiede ausdrückt, daß die Verba Tempora haben." Denique praeter hos temporum gradus nobis occurrunt tres temporum species, si enim actionem progredientem ab initio usque ad finem persequimur, aut continuatam aut perfectam aut ingredientem cogitatione nobis fingere possumus. Atque ita habemus tria principia verbi graeci, ad quae fere omnia tempora referri possunt, quasi verbum graecum ex tribus forma et propria significatione diversis constet verbis.

1) Verba Imperfecta orta a principio „*τυπτ*" [1])
2) Verba Perfecta orta a principio „*τετυπ*"
3) Verba Aorista orta a principio „*τυπ*" [2])

Commode atque scite Curtius in grammatica sua has tres temporum species comparavit cum tribus mathematicis figuris: continuatam actionem cum linea infinita, perfectam cum figura quadam undique lineis determinata, ingredientem cum puncto, quod in nullam partem patet. [3])

Quod ad futurum attinet, hoc temporis gradum non solum ad continuatam, sed etiam ad ingredientem actionem exprimit, *γνώσομαι* enim, ut exemplum proferam, significat et ich werde kennen lernen (paulatim) et ich werde erkennen.

Atque homines primae aetatis mea sententia ex tempore praesente profecti sunt, nam vi perspiciendi inprimis contemplabantur res sensibus subjectas, ad quas lingua exprimendas notiones inveniebant, quibus alter alteri exponere posset, quomodo hanc aut illam rem sibi fingeret. Ita primum exstitit notio temporis praesentis; nam omnia sensibus subjecta pertinent ad tempus praesens, quo expresso homines accedebant ad res, quae sensibus non subjectae erant,

---

[1]) *Τύπτω*: purum principium *τυπ*, ex quo addita littera *τ* principium temporis praesentis egreditur. Principium praesentis omnino purum est principium sed maxima ex parte additis litteris, quaecunque sunt, mutatum.

[2]) Aoristus secundus prior fictus est, atque tum demum ille aoristus, qui nunc primus vocatur.

[3]) Curtius Griechische Grammatik § 484.

ad tempus praeteritum, denique ad tempus futurum.[1]) Sed hoc loco non meum est inquirere, quae temporum formae primae fictae sint, praesertim quum hac de re nihil omnino certi dici possit atque ea aetate, cui studere volo, lingua jam perfecta nobis occurrat. Ut supra dixi verbum Graecum quasi ex tribus verbis constare videtur, nam tria principia discernere possumus, ex quibus fere omnia tempora emanaverunt. Ac primum quidem praesens et imperfectum ab eodem principio ducuntur, *τύπτω* et *ἔτυπτον* a principio *τυπτ*, quorum utrumque actionem continuatam atque semper ad dicentis momentum referendam exprimit, sed alterum praesentem, alterum inchoatam, non perfectam.

Quaeri autem jam potest, num hoc societatis vinculum tam necessarium sit, ut nunquam a conditione divelli actio et per se ipsa representari possit.[2])

Quamvis negari non possit id ipsum temporis praesentis proprium esse, loquentem in ejus temporis medio momento se collocare, quo actio cadat in conspectum, tamen facile potest cogitari, iis, qui audiunt vel legunt permitti aliquod momentum praesentiae mente concipere, quo actio ad effectum perducitur. Quam posteriorem significationem temporis praesentis in iis ipsis enuntiatis invenimus, quae usu cognita habemus saepe aut omnibus temporibus accidere posse vel accidere solere, quae quo temporis momento cogitentur nihil interest.[3])

Denique facilius in tempore futuro et perfecto actionem a conditione temporis solvere possumus, quod in his temporibus actio et conditio jam ita per se discrepant, ut in altero actio antecedens conditionem in altero sequens conditionem fingatur. Atque ita lingua graeca actionem futuram nulla conditione determinatam expressit forma „*γράψω*“ et praeteritam forma „*ἔγραψα.*“ Tempus futurum, secundum peculiarem indolem suam, futuro latino, quod semper pro-

---

[1]) H. Schmidt doctrin. temp. verb. gr. et lat. sect. I, pag. 3. Vergl. Buttmann Griech. Grammatik § 92, Anmerkung 3.

[2]) Schmidt doctr. temp.: sect. IV, pag. 8.

[3]) Ad quam quoque significationem pertinent hae locutiones: „dicunt,“ „ferunt,“ „*φασί*“ aliae.



prietatem temporis praesentis sibi vindicat, contrarium, commode ita est fictum, ut hoc tempore exprimatur actio nulla temporis conditione vincta. Sed praeteritum nulla conditione determinatum Graeci praeter alia tempora praeterita servarunt atque simpliciter aoristum [1]) nominaverunt, quod nomen maxime commodum esse mihi videtur, quia hoc tempus „aoristus“ non incertum relinquit tempus, quo aliquid factum est, sed quia actionem significat neque vinctam neque determinatam ulla conditione.[2])

In una quaque actione momentum cogitari potest, quo actio praesens erat, est, erit, quae conditio relationibus ad dicentem ipsum invenitur atque id aoristi proprium est hac relatione carere. Qua re vis aoristi ita definiri[3]) possit, ut actionem per se perfectam exprimat, quae singula labentis temporis momenta collegit unoque obtutu universa complectitur. Quoad haec definitio comprobari potest, exemplis ex Sophocle et aliis scriptoribus, qui illius aequales erant, sumptis demonstrare volo.

Atque eo facilius intelligere possumus quid aoristi proprium sit, si eos locos accuratius expendimus, in quibus aoristos simul cum aliis temporibus praeteritis adhibitos invenimus.

Quemadmodum satis ex compositione formarum verbi emanat, reduplicationis, quae vocatur, notionem perfectae actionis propriam esse, ita non minus inter omnes constat augmentum solum idoneum fuisse, quod singulis temporibus significationem temporis praeteriti vindicaverit.[4]) Qua ex re apud Graecos omnino tria ad narrandum tempora adhibita invenimus: 1. tempus imperfectum, 2. plusquamperfectum, 3. aoristi indicativum. Quum autem, ut supra dixi, tempus imperfectum et plusquamperfectum actiones proferant, quae relatione ad alias percipiantur, aoristus ab una quaque conditione libera sit, fieri non potest, quin facile intelligamus usum aoristi, quo actio

---

[1]) Hoc nomine primus usus est Dionysius Thrax.

[2]) Bernhardy wissenschaftliche Syntax, pag. 380, Anmerkung 41.

[3]) Secutus sum Schmidtium doctr. verb. pag. 13.

[4]) Curtius Erläuterung z. Gr. p. 92. Das Augment ist aller Wahrscheinlichkeit nach ein demonstrativer Pronominalstamm, das im Sinn des deutschen „da,“ „damals“ auf die vergangene Zeit hinweist. Schleicher Comp. pag. 567.

nullis conditionibus vincta vel determinata exprimitur, magis varium esse quam temporum imperfecti et plusquamperfecti. Quin etiam facile in hanc falsam sententiam cadere possemus, aoristum saepe promiscue cum aliis historicis temporibus permutari posse, nisi ex accurate considerandis illis locis, in quibus simul aoristos et alia historica tempora invenimus semper propriam illam aoristi significationem elucere cognosceremus. Sic primum indicativum aoristi, qui prorsus a ceteris modis discernendus est, mihi proponam comparare cum imperfecto et plusquamperfecto, tum qua in ratione aoristus ad reliqua tempora percipiendus, denique quid de singulis modis aoristi dicendum sit.

---

## De aoristi indicativo.

Atque primum quidem, si comparamus aoristum cum imperfecto, quid discriminis sit inter haec tempora, ex illis locis, in quibus utrumque ad narrandum adhibitum est, optime cognoscemus. Itaque primo loco colloco versus 285 et sequentes ex Sophoclis Aiace:

„ἅπαν μαθήσει τοὔργον, ὡς κοινωνὸς ὤν.
κεῖνος γὰρ ἄκρας νυκτὸς, ἡνίχ' ἕσπεροι
λαμπτῆρες οὐκέτ' ᾖθον, ἄμφηκες λαβὼν
ἐμαίετ' ἔγχος ἐξόδους ἕρπειν κενάς.
κἀγὼ 'πιπλήσσω καὶ λέγω, τί χρῆμα δρᾷς,
Αἴας, τί τήνδ' ἄκλητος, οὔθ'ὑπ' ἀγγέλων
κληθεὶς ἀφορμᾷς πεῖραν, οὔτε του κλύων
σάλπιγγος; ἀλλὰ νῦν γε πᾶς εὕδει στρατός.
ὁ δ' εἶπε πρός με βαί', ἀεὶ δ' ὑμνούμενα.
γύναι, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.
κἀγὼ μαθοῦσ' ἔληξ', ὁ δ'ἐσσύθη μόνος.
καὶ τὰς ἐκεῖ μὲν οὐκ ἔχω λέγειν πάθας.
ἔσω δ' ἐσῆλθε συνδέτους ἄγων ὁμοῦ
ταύρους — κύνας βοτῆρας εὔκερών τ' ἄγραν.
καὶ τοὺς μὲν ηὐχένιζε, τοὺς δ' ἄνω τρέπων



ἔσφαζε κἀρράχιζε, τους δὲ δεσμίους
ᾐκίζεθ', ὥστε φῶτας ἐν ποίμναις πίτνων.
τέλος δ' ὑπᾴξας διὰ θυρῶν, σκιᾷ τινὶ.
λόγους ἀνέσπα, τοὺς μὲν Ἀτρειδῶν κάτα,
τοὺς δ' ἀμφ' Οδυσσεῖ, συντιθεὶς γέλων πολύν,
ὅσην κατ' αὐτῶν ὕβριν ἐκτίσαιτ' ἰών·"

nexus actionis ita se habet: per tota castra fama fertur, Aiacem praeterita nocte greges ex hostibus captos, qui heroibus non dispertiti erant, manu sua quasi prudentia atque mente privatum cecidisse atque jugulasse. Chorus, qui ex Aiacis militibus constat, timore vexatus ante Aiacis tabernaculum venit, qui certior fiat, semper jam sperans atque optans ut haec fama veritate careat. Tecmessa Aiacis uxor chorum docet se quamvis summo dolore affectam ab animo tamen impetrare non posse, quin famam illam adversam, per tota castra dilatam confirmet. Tecmessa duobus locis narrat Aiacem e tabernaculo excessisse, primo loco dicit: „ἐμαίετο ἕρπειν ἐξόδους, altero ἐσσύθη. Primo imperfecto uteretur necesse erat, quod actionem non perfectam, sed demum tentatam refert ad sua verba quibus Aiacem vituperat, altero tantum simpliciter narrat Aiacem egressum esse. Eodem sensu ἐσῆλθε; sed quum exponat, quomodo Aiax in armenta consuluerit, moratur in singulis actionibus describendis atque chorum, qui timide a Tecmessae ore pendet tamquam cogit ut Aicacem caedentem et jugulantem ipse videat, dicit igitur: ηὐχένιζε, ἔσφαζε, κἀρράχιζε ᾐκίζετο, non minus λόγους ἀνέσπα, quod nos convicia Aiacis audire ipsi videmur. Quo ex usu aoristi et imperfecti emanat, quod omnibus probatum est, eum qui his temporibus utitur, auditores cum se ipso in praesentia actionis collocare, atque ita inter se discrepare haec tempora, ut ille qui aoristo utitur cum progrediente actione ipse progrediatur, qua ex re aoristus praeter alia tempora praeterita maxime idoneus esse videtur, qui ad narandum usurpetur. Si quis res gestas describere vult iis, qui audiunt, aut singula facta progredientis actionis profert aut in describendis singulis locis commoratur atque in hac utraque narrandi specie Graeci duo inter se diversa tempora exhibuerunt, aoristum et imperfectum. Quamvis in augmento, quod, ut ex expositione formarum elucet,

solum idoneum est quod temporibus vim temporis praeteriti vindicare possit, imperfectum et aoristi indicativus conveniant, statim tamen videmus haec tempora jam id inter se differre quod a diverso principio deducta sunt. Imperfectum, quod ab eodem principio, a quo praesens, proficiscitur, actionem continuatam exprimit, aoristus actionem absolutam. Neque minus videmus imperfectum, quum aoristo actio ipsa declaretur, maxima parte ad certe definitum tempus, quod semper relatum ad aliud momentum, temporis cognoscitur, spectare, ut semper adverbia temporalia ut *τότε* alia, si nondum jam adsint, supplere possimus; ad quam rem explicandam nonnulla exempla profero.

Oed. tyr. 103: *ἦ ἡμῖν, ὦναξ, Λάιος ποθ᾽ ἡγεμὼν*
*γῆς τῆσδε, πρὶν σὲ τήνδ᾽ ἀπευθύνειν πόλιν*

quibus in versibus tempus, quod inest in verbo *ἦν* certius definitur verbis *πρὶν ἀπευθύνειν* in mutua relatione; ejusdem fab. vers. 1470, 948, 973.

Oed. Col. 367, 769—70, 973. Trach. 518 ff. Elect. 927. Sed in multis locis adverbium aliquod temporis supplere possumus.

Oed. tyr. 128: *κακὸν δὲ ποῖον ἐμποδὼν τυραννίδος*
*οὕτω πεσούσης εἶργε τοῦτ᾽ ἐξειδέναι*

„quid mali tum, quum Sphinx vos vexaret, vos impediebat quominus etc.“ ad quae Oedipi verba Creon ita respondet:

*ἡ ποικιλῳδὸς Σφίγξ τὸ πρὸς ποσὶ σκοπεῖν*
*μεθέντας ἡμᾶς τἀφανῆ προςήγετο.*

in quibus versibus verbum *τότε* suppleri facile potest; ejusdem fab. 529, 555 (*ἔπειθες ἢ οὐκ ἔπειθες*) 974, 990, 1021, 1028, 1042, 1170 (*ἦν λόγος*) 1525

*ὦ πάτρας Θήβης ἔνοικοι λεύσσετ᾽ Οἰδίπους ὅδε*
*ὃς τὰ κλειν᾽ αἰνίγματ᾽ ᾔδει καὶ κράτιστος ἦν ἀνήρ,*
. . . . . . . . . . . . . . . *ἐπέβλεπεν.*

Antig. 402 (*αὕτη τὸν ἄνδρ᾽ ἔθαπτε*) Trach. 555 Elect. 1411. Negari vero non potest in plurimis illis exemplis notionem continuationis, quippe quae imperfecto a principio praesentis ducti propria sit, exstare sed relationes ad aliud certe definitum tempus in illis majoris sunt momenti, dum aliis locis continuationis vis praevalet.



Oed. tyr. 127: *Λαΐου δ᾽ ὀλώλατος*
*οὐδεὶς ἀρωγὸς ἐν κακοῖς ἐγίγνετο.*

Quorum verborum haec sententia est: pro Laio tum nullus ultor inveniebatur atque adhuc nullus exstitit. Ejusdem fab. v. 731.

*ηὐδᾶτο γὰρ ταῦτ᾽ οὐδέπω λήξαντ᾽ ἔχει*

quo in versu etiam additum est, famam illam, quae tum dilata erat, nunc etiam vigere.

Oed. tyr. v. 998, 1000, 1016. Oed. Col. 521, 982, 1252, 1294. Trach. 652 (*αἰὲν ὤλλυτο*) 682 (*ἀλλ᾽ ἐσῳζόμην*). Ai. 1134 El. 951. Antig. 290, 932.

Alia est res in aoristo. Aoristo exprimitur ingrediens actio, quomodo *βασιλεύειν* König sein et *βασιλεῦσαι* König werden significat. Recte quidem Curtius aoristum comparat cum puncto, quod in nullas partes patet. Quomodo vero hoc punctum et initium et finis lineae esse potest, ita aoristus actionis initium et finem exprimit. Actio tantum sua ipsius causa narratur singulorum momentorum, ex quibus actio constat, nulla ratione habita.

Oed. tyr. 566 *ἀλλ᾽ οὐκ ἔρευναν τοῦ θανόντος ἔσχετε*; eodem jure imperfectum quoque placeret, si Oedipus totam actionem investigandi ab initio usque ad finem in animo habuisset.

Sed hic aoristo poeta demonstrat, Oedipum singula momenta in unam notionem contraxisse, dum nos imperfectum et aoristum eodem modo in nostram linguam transferimus: stelltet ihr keine Nachforschung an?

Oed. tyr. 115 (*οὐκ ἔθ᾽ ἵκετο*); 134; 506 ff., 994

*εἶπε γαρ με Λοξίας ποτὲ*
*χρῆναι . . . . . .*
*ὧν οὕνεχ᾽ ἡ Κόρινθος ἐξ ἐμοῦ πάλαι*
*μακρὰν ἀπῳκεῖτο .*

quo loco *εἶπε* recte dictum est, quum hic verbum *εἶπε* ad unum casum relatum quodammodo verbo *ἀπῳκεῖτο*, quod totum tempus usque ad id momentum valet, quo Oedipus loquitur, opponatur; imperfectum pro *εἶπε* positum displiceret, quum verbo *εἶπε* quasi initium ejus actionis exprimatur, quae continetur in *ἀπῳκεῖτο*. „Ab eo momento, quo Apollo mihi oraculum dedit, Thebas semper

adhuc evitabam.“ Oed. Col. 98 (ἐξήγαγε). 353; 372; 775; 819; 888; 917.

*καί μοι πόλιν κένανδρον ἢ δουλήν τινὰ*
*ἔδοξας εἶναι κἄμ' ἴσον τῷ μηδενί .*

exspectari posset **ἐδόκεις**; sed haec non erat vera sententia Creontis, nam Theseus qui quidem hanc sententiam Creonti attribuat, statim intelligit hoc sentire non posse Creontem atque tamquam se ipse corrigit dicens haec: **καὶ τοί σε Θῆβαί γ' οὐκ ἐπάιδευσαν κακόν.** Oed. tyr. 941, 984, 997, 1296, 1302, 1330, 1362 ff. 1396. Trach. 153 (aoristus comprehendit singula momenta) 190, 201, 245, 298, 477, 504, 506, 1220.

Aiac. 13, 18, 24, 36, 97, 446, 452, 515 ff., 661, 967 ff., 1325. Antig. 233 (significans quasi finem vel fastigium actionis). 286, 296, 385, 395, 452, 517, 875.

Electr. 13. 78: *καὶ μὴν θυρῶν ἔδοξα προσπόλων τινὸς*
*ὑποςτενούσης ἔνδον αἰσθέσθαι, τέκνον .*

Recte quidem ponitur hoc loco aoristus ἔδοξα, etenim non agitur de sententia, quam paedagogus in tempus sumat, sed actio spectat ad unum hunc casum. ἔδοξα cum verbo αἰσθέσθαι quodammodo in unam notionem conjunctum est, ut notio verbi αἰσθέσθαι temperetur, ut nos dicimus: mir war es so, als ob ich hörte. 221, 321, 535, 561, 687, 910, 1235, 1350, 1352, 1363.

*ἴσθι δ' ὡς μάλιστά σ' ἀνθρώπων ἐγώ*
*ἤχθηρα κἀφίλησ' ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ.*

Quo ex loco plane elucet aoristi ingredientis vis. ἄρχειν herrschen, ἄρξαι zur Herrschaft gelangen, φιλεῖν lieben, φιλῆσαι plötzlich in Liebe gerathen. Electr. 1465, 1479.

Quodsi nonnulli [1]) hunc aoristum ita explicare conati sunt, ut ei actionem celeriter praetereuntem propriam attribuerint, ii valde erraverunt. Actio enim, quaecunque est, semper sibi notionem continuationis vindicat; multo magis quaerendum est, utrum actio referatur ad aliud tempus atque continua exponatur, an actio per

[1]) Hermann ad Vig. pag. 748. Reisigius ad Soph. Oed. Col. vers. 92.



se, tantum sua ipsius causa narretur. Rectissime [1]) Schmidtius hanc sententiam repellit; quae si recta esset, nequaquam ex verbis **ζῆν, βιόω, μένω** aliis duci posset aoristus. Qua re ducti alii [2]) in aoristo tantum cogitatam celeritatem viderunt. Commode quidem; si enim aoristo notionem celeritatis attribuere vellemus, eo tantum cogitata esse posset, quippe quum verbis res non tales repraesentarentur, quales essent sed quales cogitarentur. Etiamsi illis in universum concedam, tamen exempla inveniuntur, in quibus ne cogitata quidem celeritas sumi potest.

Thuc. IV, 1. *ἦρξαν τῆς Ἀσίης τριήκοντα ἔτεα .*

Si quis dicere velit totum tempus quasi uno puncto comprehendi, hoc quidem loco, mea sententia, etiam cogitata celeritas sensui repugnat. Sed aoristus simpliciter narrat facta, imperfectum in singulis locis describendis moratur. Quamvis sententiam eorum, qui vim celeritatis aoristo vindicant sine ulla dubitatione repellam, tamen eo progredi non possumus, ut etiam aoristis notionem continuitatis tribuamus. In omnibus enim illis exemplis, quae Schmidtius [3]) ad confirmandam hanc sententiam protulit, vis continuationis non ex aoristi proprietate evadit sed ex illis additis verbis. Herod. II. 133. 157. Thuc. III. 28. Quantum temporis obtineat actio nullius momenti est, aoristus semper suum jus servavit; atque vim celeritatis non in aoristi proprietate positam esse plane eo videmus, quod nonnulli [4]) grammatici etiam perfecto et plusquamperfecto tribuerunt hanc significationem. Egregie elucet vis propria aoristi si hos duos locos apud Homerum comparamus.

[1]) Doctr. temp. IV, pag. 11 in annott.

[2]) Buttmannus i. gr. gr. § 124, 5. Rostius i. gr. gr. § 117. Bernhardy wissenschaftl. Syntax pag. 380: es kommt dem Aorist eine vorzügliche Energie der Darstellung zu, woraus manche Nebenbeziehungen, wie des augenblicklichen und des schnellen Erfolges entspringen. Wie nun dieses für jeden faktischen Vortrag gilt, so tritt dasselbe, wenn auch mit beschränkterem Gebrauch, in einer Hypothese ein, welche entweder die strengere bedingte Form hat, besonders einem Imperfect entgegengestellt, wo der Aorist das Momentane bezeichnet.

[3]) Doctr. temp. sect. IV, pag. 12: „res aoristo expressae tantundem necessario cogitandae sunt patere in longitudinem, quantum res expressae imperfecto.“

[4]) Bernhardy wissenschaftl. Syntax pag. 379, 380.

Hom. Od. ε 92 ff. ὥς ἄρα φωνήσασα θεὰ παρέθηκε τράπεζαν
ἀμβροσίης πλήσασα κέρασσε δὲ νὲκταρ ἐρυθρόν.
αὐτὰρ ὁ πῖνε καὶ ἦσθε διάκτορος Ἀργειφόντης

atque Hom. Odyss. I, 108:

κήρυκες δ'αὐτοῖςι καὶ ὀτρηροὶ θεράποντες
οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρητῆρσι καὶ ὕδωρ
οἱ δ'αὖτε σπόγγοισι πολυτρήτοισι τραπέζας
νίζον καὶ προτιθέντο, ἰδὲ κρέα πολλὰ δατεῦντο.

In utroque loco apparatus coenae narrantur, illo aoristos, hoc imperfecta invenimus, atque optimo jure. Illo loco singulae partes apparatus leviter secum conjunguntur atque poeta in coena ipsa plus ponit momenti, hoc poetae intererat has singulas partes apparatus describere, nobis quasi coactis ut adspiciamus, quomodo coena paretur. His locis non difficile est intelligere quid sit discriminis inter aoristum et imperfectum, sed interdum poeta ex imperfectis egrediens tum aoristis utitur, ut accuratius contextum actionis non considerantes facile in hanc sententiam cadere possimus nullam exstare differentiam. Hom. Odyss. V. 228 ff.

ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς
αὐτὶχ' ὁ μὲν χλαῖνάν τε χιτῶνα τ' ἕννυτ' Ὀδυσσεύς.
αὐτὴ δ' ἀργύρεον φᾶρος μέγα ἕννυτο Νύμφη,
λεπτὸν καὶ χαρίεν, περὶ δὲ ζώνην βάλετ' ἰξυῖ
καλήν χρυσείην · Κεφαλῇ δ'ἐπέθηκε κάλυπτρην.
καὶ τότ Ὀδυσσῆϊ μεγαλήτορι μήδετο πομπήν.

Quod ad singulas actiones attinet, quas et imperfectis et aoristis expressas invenimus, eae prorsus pares esse videntur, neque quisquam poetam vituperaret, si solis imperfectis usus esset. Sed plurimum in hac narratione valet verbum μήδετο; in hanc ipsam curam, quomodo Ulixen in patriam mittat, nympha cogitationem suam intendit. Quodsi verba, quae antecedunt, imperfectis expressa essent, sine ulla differentia hae actiones cum verbo μήδετο essent conjunctae; sed hic poetae prorsus intererat ut verbo μήδετο plus momenti tribueret, id quod optime efficere poterat, quia actiones antecedentes aoristis, qui actiones ipsas absolute proferunt, exprimebat. Poeta igitur ab imperfectis egrediebatur atque tum ut actionem, quae in verbo μήδετο continetur, augeret, ad aoristos transibat. Initio quidem poeta illis actionibus ut ἕννυτο magnam tribuit vim quae tamen paulatim minuitur, quum postremo summum momentum vindicetur verbo μήδετο.



Qua ex proprietate horum temporum satis plane emanat, imperfectum maxime idoneum esse, quod ad describendum vel pingendum adhibeatur. Qui enim in describendis rebus imperfecto utitur, quasi ante nostros oculos pingit, ut nos picturam exsistentem videamus. Sed in aoristo quoque facultas describendi vel pingendi inhaerere videtur; sed tamen prorsus aliter atque imperfecto. Qui enim ad narrandum adhibet aoristum, tamquam perfectam picturam nobis ante oculos ponit, ut uno obtutu intueamur totam actionem. Hom. Odyss. VI. v. 316 et sequ. VIII. 189 et sequ. XIV. 303—307 Il. v. 370.

Quum igitur aoristus actiones per se exprimat, imperfectum in singulis momentis describendis moretur, aoristus praeter omnia tempora idoneus est ad narrandum.

Aoristus igitur narrationem producit, quam ob rem non ineptum esse videtur, si aoristo actiones majoris momenti tribuimus. Sed interdum id non solum scriptori curae erat, ut narratio produceretur, multo magis saepe alia gravior causa exstitit, quae non aoristum sed aliud tempus postulabat. Itaque invenimus imperfectum ad exprimendas res gravissimas in Soph. Oed. tyr. 75 ff. Sententia hujus loci est fere haec: Oedipus ab Jocaste petit, ut narret, in quibus conditionibus versatus Laius interfectus sit, quot comites habuerit, quis Laii necem nuntiaverit. Hic vero poeta imperfecto optime usus est, quod una quaeque res summi momenti est, ex qua Oedipus dijudicet, quanto jure sibi mors Laii culpae attribuenda sit.

Producitur quidem narratio hac expositione Jocastae, sed Oedipus unum quodque momentum perpendit summa animi intentione. Sed quum Jocaste rogata, quis mortem Laii nuntiavisset, servum illum, qui solus e caede effugisset secundum suas preces non jam in urbe sed ruri versari narrat, tum utitur aoristo, quod nunc tantum ejus intererat, ut res factae simpliciter per se referrentur.[1]) De-

---

[1]) Krügerus gr. gr. § 53, 1, 11.

nique praesens quoque invenimus ad exprimendas actiones praeteritas una cum imperfecto et aoristo. Illud praesens historicum, quod nominatur, praecipue adhibetur, si is, qui dicit, actionem praeteritam praesentem sibi fingit, quasi modo in conspectum cadat, atque tum potissimum, quum effectus actionis usque ad praesentiam valet. Soph. Aiac. 51, *ἐγώ σφ' ἀπείργω.* 1010, 1122 *θεὸς γὰρ ἐκσῴζει με* neque minus praesens adverbio temporali addito abiit in significationem praeteriti temporis. Aiac. 20 *ἰχνεύω πάλαι.* 194. Quin etiam praesens, quasi primitivam suam vim deposuerit, conjunctum videmus cum aliquo tempore praeterito, perfecto, imperfecto, aoristo ita, ut semper discrimen aliquod exsistat. Aiac. 31 *φράζει τε κἀδήλωσεν* quo in versu simplex actio narrandi, quae inest in verbo *φράζει* etiam verbo *κἀδήλωσεν* augetur, ut haec sententia illis verbis tribuenda esse mihi videatur: „narrabat mihi atque insuper declarabat describendis singulis momentis.“ Quae singula momenta Ulixes non repetit sed multo magis comprehendit, ut recta aoristi vis ex hoc loco evadat. Idem ostendit Antigon. vers 406. Xenoph. Hell. II. 1, 15 *αἱρεῖ καὶ ἐξηνδραπόδισε.* Euripid. Alcest. 167 *ἐδάκρυσε καὶ λέγει*, ubi ingrediens aoristus apparet. Deinde significatio continuationis praesentis praeclare elucet ex Soph. Electr. 897 *ἰδοῦσα δ' ἔσχον θαῦμα καὶ περισκοπῶ.* Trach. 676, 698, ubi praesens cum perfecto, Xenoph. Anab. IV. 6, 22. V. 8. 6 ubi cum imperfecto conjunctum est. Atque ita praesens una cum aoristo et imperfecto in narrandis rebus gestis invenimus apud Sophoclem in Oed. tyr. 770 et sequ.

*ἀνὴρ γὰρ ἐν δείπνοις μ' ὑπερπλησθεὶς μέθῃ*
*καλεῖ παρ' οἴνῳ πλαστὸς ὡς εἴην πατρί.*
. . . . . . . . . . . . . . . . .
*λάθρᾳ δὲ μητρὸς καὶ πατρὸς πορεύομαι*
*Πυθώδε.*
. . . . . . . . . . . . . . . . .
*στείχων δ' ἱκνοῦμαι τούς δὲ χώρους, κτλ.*
*Παίω δι' ὀργῆς.* . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . .



*ἀλλὰ συντόμως*
*σκήπτρῳ τυπεὶς ἐκ τῆσδε* . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . .
*εὐθὺς ἐκκυλίνδεται.*
. . . . . . . . . . . . . . . . .

Sententia hujus loci est fere haec: Oedipus, quum a Tiresia irato Laii percussor appellatus esset atque stupefactus id, quod de Laii morte dilatum erat, audisset, Jocaste uxore orante narrat, cur Corinthum reliquerit atque quae sibi patria relicta contigerint, ut ab uxore certior fiat, quantum culpae sibi tribuat necesse sit. Summo animi vigore Oedipus in iis momentis, quae praesente tempore expressa videmus, moratur, quasi peractam jam vitam rursus vivat. Oed. tyr. 1273. Oed. Col. 1585 ff. Trach. 475 ff. 558. ff. 749 ff. Aiac. 51 ff. 1043 ff. 1324 ff. Antig. 249 ff. 280 ff. 406 ff. 1000 ff. 1190 ff. Electr. 710 ff.

Transeamus ad aliud inter aoristum et imperfectum discrimen, de quo plurimi grammatici non recte judicasse mihi videntur. Alii et imperfecto et aoristo iterationis significationem tribuerunt, alii [1]) imperfecto soli, qua re aoristum ab imperfecto distinguerent.[2]) Hermannus quidem de hoc discrimine ita explicavit: „Nam quae aoristo praeterito tempore fieri consuevisse dicuntur, ea quocunque praeterito tempore fieri solita indicantur, unde merito colligitur, et etiamnum fieri solere et posthac fieri posse; quae autem imperfecto tempore fieri consuevisse significantur, ea ad certam tantummodo partem praeteriti temporis, quae quidem ex alio tempore pendeat, pertinent, neque alia, quae antea aut post istam temporis partem fieri consueverint, comprehendunt.“[3]) Quem quoque secutus est Dissenius et Kuehnerus qui ita de hac re disseruit: „Da der Aorist das ganze Gebiet der Vergangenheit umfaßt und das Vergangene frei von

---

[1]) Kruegerus i. gr. gr. 53, 2, 2: Wie das Präsens, so bezeichnet auch das Imperfectum eine unterbrochene Dauer, eine Wiederholung. G. Curtius gr. gr. § 488.

[2]) De emend. rat. gr. gr. pag. 199.

[3]) Alterum erravit Hermannus quum ex hoc aoristo profectus aoristum id quod fieri possit iudicare scribit. de emend. rat. gr. gr. pag. 187.

aller Beziehung auf den Moment des Sprechens oder auf ein andres, in der Vergangenheit liegendes, Prädikat bezeichnet: so brauchen die Griechen denselben als Ausdruck der Frequenz oder Wiederholung einer Thätigkeit in der Zeit, wenn sie von einer in der Vergangenheit öfters wahrgenommenen Erscheinung reden, oder eine Wahrheit, ein allgemeines Urtheil, welches auf einzelne Erfahrung gegründet ist, aussprechen," tum: „Wenn der im Aorist liegende Begriff des Pflegens etc." denique „auch das Imperfect drückt zuweilen eine Wiederholung aus, aber nie schlechtweg, wie der Aorist, sondern immer in Beziehung auf ein anderes, gleichfalls in die Vergangenheit fallendes Prädikat."

Optimo [1]) jure hanc falsam sententiam repudiavit Schmidtius, etiamsi rationem ipsam, qua hoc demonstrare conatur scribens omnia sine ulla exceptione tempora de consuetudine dici, probare non possum. Nec vero ulli conjugationis formae iterationis notio impressa est neque in Graeca lingua neque in aliis. Si ea uspiam emanat, ex sermonis contextu prodit. Etenim si in singulis temporibus iterationis significatio inesset, qua alia ab aliis distinguenda essent, fieri non posset, ut in enuntiatis quae ad iterationem actionis pertinent, adhibita inveniremus omnia tempora. Quum ex ipsa re, de qua agitur, intelligere possimus, actionem non semel sed saepe accidisse vel jam accidere posse, tum interdum verba quoque adduntur, quibus haec iterationis significatio efficitur, ut neque aoristo neque ullis aliis temporibus hanc vim propriam tribuere possimus. Videamus igitur qua ratione tempora in ejusdem generis enuntiatis percipienda sint.

Ac primum quidem videamus quid viri docti hac de re cogitaverint. Kuehnerus [2]) aoristo, ut supra ostendimus, omnino iterationis significationem vindicavit atque ex hac significatione proficiscentem fecit illum aoristum, qui vocatur „gnomicum." Neque minus Rostius [3]) in his enuntiatis gnomicis actionem invenit, quae non semel sed saepius observata rata fiat. Eodem modo Madwigus [4]) sibi persuadet,

---

[1]) Doctrin. temp. pag. 27—29.
[2]) Gr. gr. § 442, Anmerkung 2.
[3]) Gr. gr. § 116, Anmerkung 4.
[4]) Gr. gr. § 111, Anmerkung a.



aoristum significare actionem, quae nonnunquam itaque in singulis casibus accidere soleat. Bernhardyus [1]) ita: „Daher ist der Aorist allgemein seit den Epikern im Gebrauch gewesen, um das in einzelnen Momenten Wiederkehrende für den Sinn des Pflegens, an sich und in Verbindung von Präsentia zu bezeichnen. Denique Faesius in editione Odysseae ad versum 327, libri XXIV

καὶ τ᾽ ἔκλυες ᾧ κ᾽ ἐθέλῃσθα,

quae verba ita vertit: „und du hast noch immer erhört, erhörst jedes Mal."

Sed hanc explicationem aoristi gnomici haud dubie mihi repellendam esse persuasum habeo. Nulli conjugationis formae iterationis notio impressa est neque in Graeca lingua neque in alia. Si ea uspiam emanat, ex sermonis contextu evadit. Aoristus manet aoristus h. e. tempus historicum quod actionem per se, perfectam exprimit, quae singula labentis temporis momenta in unum complectitur. Sed ut in hac re recte discernamus, usus illius aoristi, quem in comparationibus invenimus atque quocum aoristus gnomicus arcte conjunctus mihi esse videtur, rationem puto habendam esse. Aoristus vero non solum est tempus historicum, — quae significatio ex augmento proficiscitur, — sed etiam simul absolutum illud, ut ita dicam, tempus, quod actionem per se sine ulla relatione profert. Si igitur aoristi indicativus actiones praeteritas exprimit, eae semper sunt referendae ad unam certe definitam rem, ut nunquam notio iterationis hujus peculiaris temporis exsistat. Atque in his ipsis comparationibus propria temporum vis apparet, nam quum praesens actionem continuam proferat, aoristus ingredientem exprimit. Sed propterea quod ex sententia talium enutiationum emanat, has actiones, si quando ingrediantur, quolibet tempore ad effectum perduci posse, nequaquam ulla causa exsistit, cur aoristo iterationis vim propriam tribuamus.[2]) Quod ad comparationes attinet aoristus actionem profert qua

---

[1]) Wissenschaftl. Syntax, pag. 382. Berichte der Königl. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften 1854 pag. 55.
[2]) Hermannus ad Vig. pag. 913. Unum factum tamquam exemplum pro pluribus commemoratur. Vid. Hermannus Opusc. T. II. pag. 12.

alia declaretur et probetur, sed utrum poeta, quomodo haec actio effecta sit, viderit an tantum cogitaverit nullius momenti est, dummodo actio sit quae omnino fieri possit. Exemplum ex Homeri Iliade sumptum profero; Il. III. 33 et sequ.

> *ὡς δ᾽ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη*
> *οὔρεος ἐν βάσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα.*
> *ἄψ τ᾽ἀνεχώρησεν, ὦχρός τε μιν εἷλε παρειάς.*

Neque ulla explicatione hi versus egent, satis est ut afferam, quomodo eos vertat Vossius:

> So wie ein Mann, der die Natter ersah mit Entsetzen zurückfuhr,
> In des Gebirg's Waldthal; ihm erzitterten unten die Glieder;
> Rasch nun floh er hinweg und Bläss' umzog ihm die Wangen.

Sed difficilius est intellectu quid sit discriminis inter aoristum et praesens, si haec tempora invenimus simul adhibita in comparationibus. Neque minus in hac re explicatio Kühneri[1]) et Rostii[2]) repellenda est, qui arbitrantur, aoristum usurpari ad exprimendas sententias, quae, semel quidem perfectae, non semper probatae in conspectum cadant necesse sit, praesente tempore exprimi sententias, quae omnibus probatae semper, si quondam ingrediantur, eo ipso modo perficiantur. Quin sit discrimen inter haec tempora in his comparationibus nemo dubitabit, sed ut aliquid habeamus, quod sequi possimus, exempla nonnulla addam. Il. III. 23 ff.

> *ὥστε λεὼν ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας*
> *εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν ἢ ἄγριον αἶγα,*
> *πεινάων· μάλα γάρ τε κατεσθίει, εἴπερ ἂν αὐτὸν*
> *σεύωνται ταχέες τε κύνες θαλεροί τ᾽ αἰζηοί.*
> *ὣς ἐχάρη Μενέλαος κ. τ. λ.*

Ubi in verbo *ἐχάρη* tertium comparationis positum est, quum actiones — hoc loco *κατεσθίει* — quae tantum imaginem producunt atque ad comparationem nequaquam vel certe minus referendae sint, praesente tempore utantur. Sed simul propria significatio horum temporum elucet, praesens *κατεσθίει* actionem exprimit, quae omnino continuata cogitanda est, aoristus actionem per se, absolutam. Eodem

---

1) Gr. gr. § 442, 1. — 2) Gr. gr. § 146, 1.



modo Il. IV. 482 ff. quo loco tertium comparationis situm est in verbo *ἐξέταμε*, sed verba *πεφύκῃ*, *πεφύασιν*, *κεῖται* comparationem latius producunt atque *κεῖται* continuatam ostendit actionem.

Il. XVII. 53 ff., XVI. 768 ff., XIII. 389 ff., II. 480. Od. III. 33, IV. 397. Demosthenes Olynth. I. § 15: „*δέδοικα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ οἱ δανειζόμενοι ῥᾳδίως ἐπὶ τοῖς μεγάλοις τόκοις μικρὸν εὐπορήσαντες χρόνον ὕστερον καὶ τῶν ἀρχαίων ἀπέστησαν, οὕτω καὶ ἡμεῖς κ. τ. λ.* Quo loco tertium comparationis invenimus in aoristo *ἀπέστησαν*. Participio *δειναζόμενοι* usus Demosthenes et profectus ex sententia generali transit cum participio *εὐπορήσαντες* ad singularem rem; oratori igitur aliquid definitum ante oculos obversabatur.

Soph. Electr. v. 26: *ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς, κἄν ᾖ γέρων,*
> *ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν*
> *ἀλλ᾽ ὀρθὸν οὖς ἵστησιν, ὡσαύτως δὲ σὺ κ. τ. λ.*

quibus in versibus paedagogus comparatur cum equo, qui quamvis senex sit, tamen animum nequaquam demittat. Tertium comparationis ponitur in aoristo *ἀπώλεσεν*, verbo *ἵστησιν* imago latius exponitur. Si igitur comprehendimus ubi in comparationibus aoristi locus sit, videmus, unum factum, si poeta aoristo utitur, pro multis poni, sive ipse illud vidit sive tantum cogitavit, quo actionem aut quaecumque cum aliqua re comparare vult, declaret atque probandam faciat. Sin aoristum una cum praesente invenimus, in illo semper continetur tertium comporationis, praesens autem imaginem latius extendit. Unum quodque igitur tempus se offert in sua propria significatione. Atque hanc explicationem, quam ex usu aoristi in comporationibus consecuti sumus, transferamus in usum aoristi gnomici.

Aoristus in his enuntiatis semper manet aoristus h. e. tempus historicum, quod actionem per se, perfectam exprimit, quae singula labentis temporis momenta colligit unoque obtutu complectitur. Semper igitur hic aoristus gnomicus spectat ad singularem rem, utrum auctor eam sententiam generalem, quam profert, ad effectum perductam esse ipse viderit an tantum cogitet nullius momenti est. Propterea quod aoristus semper in sua peculiari significatione apparet,

facile intelligendum est, emendatores saepe terminos egressos esse quibus usus hujus aoristi coercendus est, quum multi aoristi, qui aoristi gnomici loco habebantur, nihil aliud exprimant, nisi quod illi, quos in simplicibus narrandi enuntiatis adhibitos inveniamus. Oed. Col. 281 ff.: *τὰ πολλὰ γάρ τοι ῥήματ' ἢ τέρψαντά τε*
*ἢ δυσχεράσαντ' ἢ κατοικτίσαντά πως*
*Παρέσχε φωνὴν τοῖς ἀφωνήτοις τινά.*

Quibus verbis Antigone fratrem suum admonet ut aliquid dicat, quippe quum multa verba, qualiacunque, idonea sint, quae silentium rumpere possint. Hoc loco a poeta unum factum collocatur pro multis, quod Antigone referens ad unam certe definitam rem aut ipse viderat aut certe sibi fingebat animo. Sed nequaquam ex hac re, quod conjicere possumus veritatem hujus cogitati facti saepius comprobari posse, aoristi vim iterationis esse propriam dijudicari potest. Antig. 221, Euripid. Orest. v. 667. Denique praesens quoque in enuntiatis gnomicis adhibetur exempli causa apud Sophoclem in Oedip. tyr. vers. 1230 ff.
*τῶν δὲ πημονῶν*
*μαλίστα λυποῦσ' αἳ φανῶς αὐθαίρετοι.*

Quamvis haec sententia ex adspicienda tantum Oedipi calamitate profecta sit vera, hoc loco tamen aoristus non placeat, quum hic calamitas Oedipi continua exponatur, id quod ex sequentibus verbis videmus. Oed. Col. 880. *τοῖς τοι δικαίοις χὠ βραχὺς νικᾷ μέγαν* ubi sententia generalis omnibus quidem probata, non ex uno certe definito exemplo profecta apparet. Idem demonstrant Oed. tyr. 961, 110—11. Oed. Col. 1027. Antigonae v. 672—76.
*ἀναρχίας δὲ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν.*
quo in versu sententia generalis non ad certum factum referenda sine ulla conditione praesens postulabat, praesertim quum in sequentibus versibus haec sententia latius exponatur atque singulis momentis declaretur.
Soph. Oed. tyr. 876 ff.: *ὕβρις, εἰ πολλῶν ὑπερπλησθῇ μάταν,*
*ἃ μὴ 'πίκαιρα μηδὲ συμφέροντα*
*ἀκροτάταν εἰσαναβᾶσ'*
*ἄκραν ἄποτμον ὤρουσεν εἰς ἀνάγκαν*



*ἔνθ' οὐ ποδὶ χρησιμῷ*
*χρῆται.*

Aliter res se habet in Soph. Ai. 670 ff.
*τοῦτο μὲν νιφοστιβεῖς*
*χειμῶνες ἐκχωροῦσιν εὐκάρπῳ θέρει·*
*ἐξίσταται δὲ νυκτὸς αἰανὴς κύκλος*
*τῇ λευκοπώλῳ φέγγος ἡμέρᾳ φλέγειν*
*δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε*
*στένοντα πόντον κ. τ. λ.*

Aoristo *ἐκοίμισε* unum factum relatum ad unum exemplum collocatur pro multis, praesentia actiones explicant, quae semper certe definito tempore ingredientes anguste terminatas leges sequuntur, ut sane displiceat si velimus referre haec praesentia *ἐκχωροῦσιν*, *ἐξίσταται* ad unam rem. Oed. Col. 1215 ff.

Demosth. Olynth. II. § 10. *ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα εἰς μὲν ἅπαξ καὶ βραχὺν χρόνον ἀντέχει, καὶ σφόδρα γε ἤνθησεν ἐπὶ ταῖς ἐλπισιν, ἂν τύχῃ, τῷ χρόνῳ δὲ φωρᾶται καὶ περὶ αὑτὰ καταρρεῖ.* Olynth. II. § 9, 21.

Neque magis imperfecto quam illi aoristo gnomico vim iterationis vindicare possumus, sed semper, ubicunque haec significatio apparet, ex contextu actionis emanat aut demum additis verbis non justo modo in notionem temporis irrepit.

Hom. Il. XVI. v. 137:
*κρατὶ δ'ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκεν*
*ἵππουριν· δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν.*
verbo *ἔθηκεν* simpliciter narratur cassidem in capite impositam esse, verbum *ἔνευεν* exprimit non iterationem sed continuationem. Alia est res apud Herodotum in libr. III. cap. 100. *καὶ γὰρ δῶρά οἱ ἀνὰ πᾶν ἔτος ἐδίδου ταῦτα τὰ Πέρσῃσί ἐστι τιμιώτατα καὶ τὴν Βαβυλῶνά οἱ ἔδωκεν ἀτελέα νέμεσθαι μέχρι τῆς ἐκείνου ζόης.* Quodsi quaerimus quo in verbo signum iterationis, quae nequaquam negari potest, positum sit, extemplo videmus eam ex verbo *πᾶν* proficisci. Sin quaerimus, cur in hoc enuntiato Herodotus imperfecto usus sit, plane respondet *ἔδωκε* aoristus sequentis enuntiati, in quo Herodotus actionem dandi semel factam illi quae uno quoque

anno ad effectum perducitur, opponit. Itaque priore in enuntiato imperfecto, in posteriore aoristo Herodotus uteretur necesse erat. Si utrumque enuntiatum per se consideramus, Herodotum puto in priore etiam aoristum, in posteriore etiam imperfectum ponere potuisse prout actionem utramque sibi animo fingeret. Herodotus enim, si priorem actionem non uno quoque anno repetitam cogitavisset sed per se, simpliciter tantum narratam, ut singula momenta comprehenderet, aoristo uti potuisset; eodemque modo si in posteriore non actionem solam sed continuatam ab eo ipso dandi momento usque ad extremam vitam accipientis sibi ante oculos posuisset, eodem jure imperfectum adhibere potuisset. Sed hoc loco, quo scriptoris id intererat, ut actionem semel factum illi continuatae opponeret, in priore loco imperfectum, in posteriore aoristum poni necessarium erat. Denique apud Sophoclem in Trach. 1074 *αἰέν ἐσπόμην.* Nonne verbum *αἰέι* exprimit actionem continuatam?' Sane — neque eo minus aoristus suo jure positus est; actionem simpliciter narrat poeta non recordans singulorum momentorum, ex quibus actio constat. Oed. Col. 679, 989.

Transeamus ad aliud discrimen inter imperfectum et aoristum, si haec tempora adhibentur ad exprimendum conatum quendam, ut ita dicam. Quo de usu Hermannus in adnotationibus ad vers: 1105 Soph. Aiacis hisce verbis sententiam suam profert: „imperfectum significat voluisse aliquem aliquid facere, sed non perfecisse; aoristus autem fecisse sed sine successu.“ Quam Hermanni opinionem confirmare studuit Matthiae [1]) ita: „cur in aoristo hanc vim esse dicamus, ut fecisse aliquem aliquid sed sine successu significet.' Quia si quis aliquid fecit sed sine successu, is quantum in ipso fuit rem perfecit.“ Etiamsi hanc sententiam in universum accipere possumus, tamen si accuratius locos illos in quibus legimus hunc aoristum accurate consideramus, Hermannum et alios non satis arctos fines terminasse mox videbimus. Sed ut hac de re recte discernere possimus, longius abire velim. Quamvis nemo dubitet, quin tempora illa, praesens et imperfectum, actiones, quae inchoatae quidem sed non per-

[1]) In adnot. ad Eurip. Andr. v. 724. — Kuehnerus gr. § 44 Anmerk.



fectae sunt exprimant, quae res illorum temporum est propria atque peculiaris — Herodot. I. cap. 68. *ἐμισθοῦτο παρ' οὐκ ἐκδιδόντος τὴν αὐλήν.* I. 69. *χρυσὸν ὠνέοντο, Κροῖσος δέ σφι ὠνεομένοισι ἔδωκε δωτίνην.* III. 139. VII. 321. Aesch. Sept. v. 1010 *ἥρει πόλιν;* Xenoph. Anab. VII. 7, 7. *ἐξελαύνετε* Soph. Oed. Col. *ἐβάζετο,* — tamen quaerendum est, num etiam aoristo haec significatio vindicari possit. In una quaque actione interiorem et exteriorem partem distinguere possumus. Nulla actio extemplo perfecta est, sed in hominis animo exoritur inclinatio ad aliquid faciendum denique crescens usque ad activam, ut ita dicam, facultatem, usque ad voluntatem. Si haec haud dubia voluntas, consilium adest, actio per se finita atque perfecta cogitari potest, sed num efficiatur, hoc in facultate ipsa aliquid faciendi positum est; nam ex conditionibus ipsis pendet actionis eventus. Quum primum voluntas hominis usque ad certum consilium progressa est, actionis initium adest, atque hic invenimus praesens et imperfectum, quae tempora ad inchoatam quidem, non perfectam actionem spectant.

Etiamsi consilium adest — atque sine hoc actio nequaquam cogitari potest — tamen quibusdum rebus actio potest prohiberi, quominus ad effectum perducatur. Quam quidem inchoatam non perfectam actionem in duas partes contemplari possumus. Quum vero ad consilium quoddam exprimendum utamur imperfecto tum, si consilium exstitit certum, aoristo. Sed in his enuntiatis dijudicatio, quod tempus ponendum sit, redit tantum ad arbitrium judiciumque unius cujusque scriptoris.

Soph. Aiax 1126: *δίκαια γὰρ τόνδ' εὐτυχεῖν κτείναντά με;* ad quae Menelai verba respondet Teucrus:

*κτείναντα; δεινὸν γ' εἶπας εἰ καὶ ζῇς θανών.*

Contextus atque nexus actionis hic: Menelaus vetat Teucrum sepelire fratrem suum Aiacem, quippe qui Graecorum duces interficere studuerit. Quin etiam Menelaus Aiacem interfectorem suum appellat quamquam nullo modo laesus est. Aiax quidem caedem non perfecerat, sed sine dubio Menelaum, alios interfecisset, nisi Minerva iis esset patrocinata. Quodsi rem per se consideramus, actionem finitam atque perfectam cogitare possumus. Quam sententiam poeta Menelao eo magis attri-

bueret necesse erat, quo gravius ille, hoc Aiacis consilio nixus, vetare posset Aiacem sepeliri. Alia res est in Oedip. tyr. vers 454 qui cum antecedentibus ita cohaeret. Oedipus quum quam foede oracula Apollinis rata facta essent intellexisset atque oculis manu sua ipsius orbatus et facinoribus suis vexatus ex patria egredi vellet, a Creonte ut in Cithaeronem mitteretur, petiit ubi jam multo antea parentes constituissent ut vita decederet.

*ἀλλ' ἔα με ναίειν ὄρεσιν, ἔνθα κλῄζεται*
*οὑμὸς Κιθαιρὼν οὗτος, ὃν μήτηρ τέ μοι*
*Πατήρ τ' ἐθέσθην ζῶντι κύριον τάφον,*
*ἵν' ἐξ ἐκείνων, οἵ μ' ἀπωλλύτην, θάνω.*

Quamvis nequaquam dubitare possimus, quin parentes horribili illo oraculo Apollinis perteriti omnia, quantum in iis fuit, fecerint, ut se ipsos hoc metu liberarent, tamen hoc loco poetae non intererat, ut actionem per se perfectam et finitam ante oculos poneret, sed hoc loco sufficiebat demonstrare parentes eum interficere voluisse. Ut hoc ita cogitaverit poeta, recte adhibuit mea sententia imperfectum ad actionem tentatam, non perfectam explicandam. Imperfectum in eadem significatione habemus in Oedip. Col. v. 274. 993. Aoristus exstat apud Euripidem in Jon. v. 1500. 1291. Iphig. Taur. 967.

Quamvis hic aoristi usus fortasse hoc modo explicari possit, tamen de tali aoristo dici posse nego. In pedestri sermone hunc aoristum non invenimus; sed tantum apud poetas dramaticos, apud quos fere tantum spectat ad verbum *κτείνειν*. Sophocles hoc aoristo, ni fallor, tantum illo uno loco usus est, saepe vero Euripides. Cujus rei ratione habita errare mihi non videor, si in hoc aoristo videam tantum rhetoricam superlationem. Quod enim ad exemplum attinet ex Sophoclis Aiace allatum, hoc sine dubio probatur. Menelaus, qui Aiaci una quaque re obtrectare conatur, facillime modum egressus Aicacem interfectorem suum appellare poterat. Atque ita optime hunc errorem aoristo actionis imperfectae attribuendae evitamus; nam aoristi indicativus semper actionem exprimit perfectam. Atque, ut supra jam vidimus, actionem, si eam progredientem ab initio usque ad finem contemplamur, comperare possumus cum linea aliqua non intermissa atque hoc est ipsum prae-



sentis proprium, quippe quum hoc tempus ad pronuntiandam continuationem actionis non terminatam idoneum sit. Sed si actionem eo ipso momento temporis, quo in conspectum cadit, intuemur optimo jure eam cum puncto quod ad nullas partes patet recte comparamus. Ut enim punctum et initium et finem lineae esse cogitamus, sic actionem aoristo expressam et initium actionis continuationi et exitum praeperationi opponere possumus. Si aoristum hoc modo percipimus, eo facilias singularem illum aoristi usum, ubi videtur praesentis loco adhiberi, intelligemus. Multum vero non restat quod de hoc usu, qui scite atque commode ab Hermanno explicatus est, addere possim. Legimus apud Sophoclem in Aiacis v. 536

*ἐπῄνεσ' ἔργον καὶ πρόνοιαν, ἣν ἔθου.*

Hisce verbis explicat Hermannus hunc aoristum: „Sed hic proprie manet vis aoristi, quamquam vix commode potest in aliquam linguam transferri. Igitur qui *ἐπῄνεσα* dicit, ubi de re praesente loquitur; hoc vult probare se sane ea, quae alter dixerit vel fecerit, sed nolle his laudibus tempus terere, immo esse alia potiora, de quibus dicendum sit. Propterea respondet Tecmessa sic, ut quaerat ab Aiace quid illud sit quod magis curae habeat.[1])

*τί δῆτα δρῶς ἐκ τῶν δ' ἂν ὠφελοῖμί σε;*

Phil. 1314. El. 668. 1322. Trach. 500.

Sed alia causa haeret in his exemplis in Ai. v. 693:

*ἔφριξ' ἔρωτι, περιχαρὴς δ' ἀνέπταμαν.*

Sensus ita se habet: chorus quum metum ne Aiax sibi mortem consciscere posset verbis Aiacis ipsis deceptus deposuisset, summo gaudio indulget. Ad quod gaudium ipsum exprimendum aoristum *ἀνέπταμαν* adhibitum invenimus, quamvis nequaquam sumere possimus hoc gaudium eodem momento rursus abiisse, sed multo magis in sequenti choro ad summum fastigium duci.

Neque minus in versu 790 ejusdem fabulae

*τοῦδ' εἰσάκουε τ' ἀνδρὸς ὡς ἥκει φέρων*
*Αἴαντος ἡμῖν πρᾶξιν, ἣν ἤλγησ' ἐγω*

---

[1]) Zeitschrift für Alterthum pag. 1065 et seq.

nobis putandum est chorum continuo, eodem affici dolore. Quaeritur autem nunc quomodo hi aoristi explicandi sint, quippe quum actiones, quae his locis aoristo exprimuntur, continuationem summam significent. Sed hic proprie praebet nobis aoristus peculiarem suam significationem, quam fere nunquam in Germanam linguam commode transferre possumus. Si enim actiones inter se cohaerentes consideramus, facile intelligimus, his locis, ut hunc aoristum aliqua ex parte linguae nostrae accomodemus, notionem aliquam ut „ὡς ξυνῆκα“ supplendum esse. Quibus ipsis locis ut breviter dicam aoristus potissimum praesentat initium actionis ingredientis. Oed. Col. 1466 (*ἔπτηξα*), Trach. 1044 quum aoristi in Oed. Col. vers. 443 et in Trach. vers. 1221 simpliciter explicandi sint historici. Sed omnino sententia eorum repellenda est qui arbitrantur his locis aoristum positam esse pro praesente tempore; unum quodque tempus proprietatem suam ita obtinet ut nunquam alterum alterius officium suscipere possit.

Neque tamen defuerunt[1]) qui dicerent in aoristo interdum inesse vim futuri temporis, si futurae actiones, quae quin efficerentur nunquam in dubium venire possent, jam perfectae proferrentur. Neque vero ex temporis formis neque ex contextu emanat, aoristum unquam posse subire partes futuri, aoristus enim semper manet tempus historicum. Legimus in Aiac. vers. 1023.

*καὶ ταῦτα πάντα σοῦ θανόντος εὑρόμην.*

Argumentum hujus quidem loci hoc: Teucrus quo absente Aiax mortem sibi consciverat, reversus secum cogitat quid tum sibi faciendum sit, quippe quum solus sine fratre domum redeat necesse sit. Animo sibi fingit futurum esse et ut omnibus Graecorum ducibus, Aiace mortuo, summo odio sit et ut a patre, qui semper iracundiae indulgere soleat, vehementissimis contumeliis recipiatur. Atque haec omnia quae ipsi exspectanda erant complectitur his verbis:

*καὶ ταῦτα πάντα σοῦ θανόντος εὑρόμην.*

Quamvis libenter concedam haec omnia, quae ne accidant Teucrus metuit, ad tempus futurum referenda esse, — nam adhuc

[1]) Rostius gr. gr. § 116, 9, 8. Matthiae gr. gr. § 506 II. Kuehnerus gr. gr. § 443, 2.



nondum Graeci duces in eum infeste consuluerant, nondum Telamon convicia in eum jacere poterat — tamen hoc loco aoristus *εὑρόμην* nequaquam futuri loco haberi potest.

Etenim si aoristus *εὑρόμην* futuri munere fungatur, huic loco hic sensus subjiciendus est: fore aliquando, posteriore tempore, ut Teucro hae res contingant. Sed haec non erat poetae intentio, cujus multo magis intererat ut demonstraret, Teucrum eodem momento, quo Aiax mortuus esset, in hanc calamitatem incidisse. Neque minus aoristi proprietas elucet ex iis enuntiatis ex quibus Matthiae judicat aoristum pro futuro positum esse. Herod. II, 29: *διεξελθὼν δὲ ἐν τῇσι τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι τοῦτο τὸ χωρίον αὖτις εἰς ἕτερον πλοῖον ἐσβὰς δυώδεκα ἡμέρας πλεύσεαι καὶ ἔπειτα ἵξεαι εἰς πόλιν μεγάλην. — Ἀπὸ δὲ ταύτης τῆς πόλιος πλέων ἐν ἴσῳ χρόνῳ ἄλλῳ ἥξεις ἐς τοὺς Αὐτομόλους, ἐν ὅσῳπερ ἐξ Ἐλεφαντίνης ἦλθες ἐς τὴν μητρόπολιν τῶν Αἰθιόπων.* Hoc loco aoristus *ἦλθες* nequaquam ostendit actionem futuram, sed obtinet suam propriam significationem; nam quod tempora futura antecedunt nullius momenti est. Sed multo magis actio veniendi, quae inest in verbo *ἦλθες*, jam perfecta cogitatur „quo tempore venisti ab Elephantina“ quin etiam haec ratio dicendi nequaquam ab nostra Germana lingua aliena est, ut illum locum vertere possimus: „in derselben Zeit wirst du zu den Automalen gelangen, in der du kamst von Elephantine.“ Idem demonstrat aliud exemplum apud Homerum in Il. IX. v. 422.

*εἰ μὲν κ' αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι,*
*ὤλετο μέν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται*
*εἰ δὲ κεν οἴκαδ' ἵκωμαι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,*
*ὤλετό μοι κλέος ἐσθλὸν ἐπὶ δηρὸν δέ μοι αἰὼν*
*ἔσσεται.*

quibus in versibus aoristi propria ipsa significatio intelligi potest. Wenn ich hier bleibe und kämpfe, so habe ich meine Rückkehr verloren, unsterblich aber wird mein Ruhm sein; kehre ich nach Hause zurück, da schwand mein Ruhm dahin, doch wird mir ein langes Leben bescheert werden.“ Il. IV. 158. Latini quoque scriptores in talibus enuntiatis utebantur perfecto, ut videmus apud Livium in l. XXI.

cap. 43 „si tales animos habetis, quales hic ostenditis, vicimus.“ Cic. in Verr. II. 23, 61, III. 62, 145.

Neque minus aoristus cum perfecto secundum hujus temporis propriam significationem comparari potest, quod perfecto quoque ipso exprimitur actio perfecta. Sed non opus est latius de hoc discrimine disserere, satis est relegare ad ea quae Kruegerus de hoc tempore explicavit. Legimus apud hunc virum doctum haec:[1] „Das Perfect bezeichnet die Abgeschlossenheit einer Handlung mit Bezug auf die Gegenwart; es liegt eine vollendete, abgethane Thatsache der gegenwärtigen Betrachtung vor. Sed illud quod continuans addidit: daß von der Handlung in der Gegenwart ein Ergebniß bestehe, ist nicht nothwendig“ non probandum esse mihi videtur. Semper adest relatio, quamvis subtilis, ad momentum loquentis. Quae nisi emanaret, omnino discrimen inter haec tempora tolleretur. Alia res est si dicimus *ἡ πόλις ἔκτισται* alia si *ἡ πόλις ἐκτίσθη*. Perfecto exprimitur urbem conditam adhuc florere, aoristo simpliciter narratur urbem aliquando conditam esse. Libenter vero concedam saepissime eundem evadere sensum, sive perfecto sive aoristo utimur, tamen nunquam nobis sumendum est haec tempora ad arbitrium nostrum libidinemque permutari posse. Atque ita praecipue discrimen horum temporum elucet si in eadem enuntiatione perfectum et aoristum invenimus. Hom. Il. I. v 125.

*ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἐξεπράθομεν τὰ δέδασται,*
„was wir erbeuteten, das ist getheilt.“

Il. II, 372. Soph. Phil. 916. Antig. 1036:

*ἐξημπόλημαι κἀκπεφόρτισμαι πάλαι.*

1173, 1175. Soph. Ai. v. 274:

*νῦν δ' ὡς ἔληξε κανέπνευσε τῆς νόσου,*
*κεῖνός τε λύπῃ πᾶς ἐλήλαται κακῇ,*
*ἡμεῖς θ' ὁμοίως οὐδὲν ἧσσον ἢ πάρος.*

Nunquam aoristus vim perfecti sibi adsciscere potest, ne in iis quidem enuntiatis, in quibus additis verbis relatio ad tempus praesens apparet. Thuk. III. 36. *μέχρι τοῦδε — παρέδοσαν* quo

[1]) Gr. gr. § 53, 3.



loco relatio non in aoristo inhaeret sed multo magis ex verbis *μέχρι τοῦδε* evadit. Atque eadem modo, ut cum imperfecto, aoristum comparare possumus cum plusquamperfecto. Haec enim tria tempora adhibemus ad exprimendam actionem praeteritam. Supra jam vidimus quid sit discriminis inter aoristum et imperfectum. Quod ad plusquamperfectum attinet Kruegerus in grammatica sua de hoc tempore recte disseruit.[1]) „Das Plusquamperfect ist das Perfect des Imperfects, d. h. es bezeichnet die Abgeschlossenheit einer Handlung aus dem Standpunkt des Imperfects betrachtet: *εἰρήκειν = εἰρηκὼς ἦν.*“ Quam sententiam sequens plusquamperfectum nequaquam puto illud praeteritum tempus percipiendum esse, quod actionem praeteritam *κατ' ἐξοχήν* exprimit quae ante aliam jam praeteritam antecedit. Hanc vero significationem plusquamperfecti invenimus in lingua latina, ex quo in hac lingua perfectum vim temporis praeteriti induerat. Graeca vero lingua omnibus his temporibus praeteritis utitur ut indicetur exprimenda actio praeterita, quae ante aliam praeteritam antecessit, imprimis aoristo, quum saepissime sufficiat actionem absolutam ab ulla relatione liberam proferre. At imperfectum quoque sic adhibitum esse mihi videtur; in vertendis quidem his imperfectis saepe vim plusquamperfecti nostri subjicimus. Legimus apud Homerum in Odyss. libr. XIV. v. 480.

*αὐτάρ ἐγὼ χλαῖναν μὲν ἰὼν ἑτάροισιν ἔλειπον*
482. *ἀλλ' ἑπόμην σάκος οἶον ἔχων καὶ ζῶμα φαεινόν*

Od. XX. v. 110: *ἡ δὲ μί' οὔπω καύετ' κ. τ. λ.* XXIII, 305. Herod. I, cap. 69: *πέμψαντες γὰρ οἱ Λακεδαιμόνιον ἐς Σάρδίς χρύσον ὠνέοντο.* Thukyd. II, 10 (*περιήγγελλον*). — Quibus in exemplis imperfectum, cui plusquamperfecti significationem vindicamus, in his potissimum enuntiatis cognoscitur quae rem aliquam praemissam explicent vel probandam faciant. Atque imprimis aoristus exstat pro plusquamperfecto nostro quum saepe sufficiat simpliciter omnibus relationibus neglectis actiones referre, ut semper in unius cujusque scriptoris arbitrio positum sit utrum aoristo an plusquamperfecto utatur. Odyss. XVIII. 5:

[1]) Krueger gr. gr. § 53, 4.

*'Αρναῖος ὄνομά ἔσκε · τὸ γὰρ θέτο πότνια μήτηρ*
Thukyd. II, 38: *τούτων ζῶντες ἐκομίσθησαν τριακόσιοι, οἱ δὲ ἄλλοι ἀπέθανον.* Soph. Trach. v. 511. Ai. 531.
*Καὶ μὴν φόβοισί γ' αὐτὸν ἐξελυσάμην.* Electr. 690.

Itaque maxima parte aoristus positus esse videtur pro plusquamperfecto in iis enuntiatis, quae particulis temporis ut *ὡς ἐπεὶ* etc. reguntur. Apud Herodotum legimus in libr. VIII, capite 12 *ὡς δὲ εὐφρόνη ἐγεγόνει* et in ejusd. l. cap. 14: *ὡς δὲ εὐφρόνη ἐγένετο*, quorum alterum vertimus: nachdem die Nacht angebrochen war, nach Anbruch der Nacht, alterum „*ἐγένετο*" als die Nacht anbrach, zugleich mit dem Anbruch der Nacht. Analogiam in latina quoque lingua habemus, si particulam „postquam" cum imperfecto aut perfecto historico aut plusquamperfecto invenimus conjunctam.

Soph. Oed. Col. v. 1301: *ἐπεὶ γὰρ ἦλθον κ. τ. λ.*
v. 1622: *ὡς δὲ πρὸς τέλος*
*γόων ἀφίκοντ' οὐδ' ἔτ' ὠρώρει βοή,*
*ἦν μὲν σιωπή.*

ex quo loco praeclare elucet discrimen inter aoristum et plusquamperfectum. v. 1629 — 31. Oedip. tyr. v. 115. Antig. v. 900. Electr. 893. Sed quod Matthiae [1]) in grammatica sua de plusquamperfecto dixit: „Das Plusquamperfectum steht besonders bei Homer oft statt des Imperfects oder Aorist's" non possum probare. Exempli causa profert ex Iliad. libr. V. v. 65.

*Τὸν μὲν Μηριόνης, ὅτε δὴ κατέμαρπτε διώκων*
*βεβλήκει γλουτὸν κατὰ δέξιον.*

Quo loco pro certo habeo plusquamperfectum suam propriam significationem servasse, nam haec est sententia: Meriones jam antea adversarium eminus percusserat, quam eum assequebatur. Eodem modo ejusdem libri vers. 75. Neque magis intelligo, cur plusquamperfectum locum aoristi teneat in Il. I. v. 222:

---

[1]) Matthiae gr. gr. II, pag. 1140.



*ἡ δ' 'Ολυμπόνδε βεβήκει,*
*δώματ' ἐς αἰγιόχοιο Διὸς, μετὰ δαίμονας ἄλλους,*
*Πηλείδης δ' ἐξαῦτις ἀταρτηροῖς ἐπέεσσιν*
*'Ατρείδην προσεεῖπε καί οὔπως λῆγε χολοῖο.*

quibus verbis hic sensus inest: Dea jam redierat in Olympum, quum Achilles Atridam asperis verbis alloquebatur.

# Theses.

1. Aptior evadit sensus, si vers. 624 et 625 Soph. Oed. tyr. permutamus.
2. In Soph. Trach. vers. 1228 praefero lectionum quam praebent codices *πείθου* contra Schneidewinum.
3. Recte Goethe vers. 905—914. Antig. ingenio Sophoclis indignissimos esse judicavit.
4. Lysiam oratorem a. 432 natum esse censeo.

## Vita.

Natus sum Hermannus Meissner in vico Silesiae inferioris cui nomen est Steinseifersdorf die 4. m. Novembr. anni h. s. XLIV patre Henerico, matre Agnesia e gente de Hagen. Fidem profiteor evangelicam.

Prima litterarum elementa a patre ipso doctus anno h. s. LVIII frequentavi Lignitiae academiam equestrem, quae, tunc Sauppio, nunc Stechowio rectore floret et in quartam classem receptus sex annis post maturitatis testimonium adeptus sum. Quo instructus Vratislaviam me contuli philologiae studiis operam daturus et die XXV. m. Octobr. a. h. s. LXIV Academiae civis factus sum. Paulo autem post studia interrupta sunt stipendia merendo atque imprimis proximo bello, quo centurionis locum obtinui. Quo autem tempore non militavi, scholis interfui philologicis, philosophicis historicis; per quattuor semestra proseminarii et seminarii reg. philol. sodalis fui. Praeceptoribus potissimum usus sum Fr. Haase, M. Hertz, A. Rossbach, Reifferscheid, Braniss, Elvenich, Rueckert, Junkmann, Neumann, viris illustrissimis et mihi benevolentissimis, quibus omnibus maximas gratias ago.